

saltem semel in anno Communionem de manu Curati devotè & reverenter suscipi, aliis verò temporibus ab eorum ordinis Ministro si voluerint, salvo semper jure decimarum, & oblationum secundum morem Parochialis Ecclesiæ Curatis & Pastoribus, aut eorum Vicariis fideliter persolvendarum. Missas vero quotidie audire sit vobis pro salubri consilio, ut Passionis Christi, quæ in Missa recolitur armis muniti fortes sitis & firmi in observantia mandatorum Dei, Missas audiendo oretis, & ut mors Christi sit vita vestra, sit mitigatio, labor vero requies sempiterna.

De vanitate Mundi fugienda.

CAPITULUM IV.

§. 25. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, ait Discipulus amoris verus amator Christi Joannes: nam qui amicus est hujus mundi, inimicus Dei constituitur; quapropter qui hanc vitam accipere desiderant, officia mundalia & publica exequi minime presumant, arma invasiva nisi sint pro Ecclesiæ tuitione, & fidei defensione non deserant; nuptialia communia, nisi sint consanguineorum fugiant, vanitates, honores, rumores, pompam, gloriam labentis hujus sæculi, & perituras opes respiciant, ludos publicos prohibitos & scandalosos, ac quoscunque licitos, nisi lacrum erogetur pauperibus, declinent, & immarcescibilis gloriæ palmam & Regum decoris de manu Domini percipiant: gloria enim mundi fallax, & divitiæ fugaces, foelix qui plus de bona vita, quam de longa cogitat: foelix qui plus de pura conscientia, quam de arca plena curat.

De jejunii, abstinentiæ, & operibus Misericordiæ.

CAPITULUM V.

§. 26. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, ait Apostolus, quia si secundum carnem vixeritis, moriemini, si vero spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis; quapropter qui Deo sub hac vita militare voluerint, carnem suam domantes, a festo Beatæ Catharinæ usque ad Nativitatem Domini, & ab Ascensione usque ad Pentecostem, diebus singulis festis exclusis, & per novem dies ante dies communionum, ac singulis feriis quartis a carnibus abstineant, sintque solliciti jejunare a festo Beatæ Lucie exclusivè, usque ad Nativitatem Domini, & singulis feriis sextis, nisi in Nativitate occurrat, in diebus autem feriis sextis ob memoriam Passionis dicant quinquies Pater noster, & totidem Ave Maria; a diebus jejunii excludentes in puerperio jacentes, lactentes, senes, & debiles, & in gravi labore defudantes, licentia a suis superioribus prius postulata, aut a Confessoribus, qui quidem Confesso-

res dicta jejunia in aliqua pietatis opera, vel in certas operationes secundum qualitatem personæ commutare poterunt erga pauperes, orphanos, & viduas, potentes & divites opera misericordiæ adimplere satagant, jejuniique Ecclesiæ conformare sese curent.

De vestimentis, cordone, & professione.

CAPITULUM VI.

§. 27. Corporis vestimenta, & corporis tegumenta secundum statum uniuscujusque sint honesta, curiositate vitiosa, colore croceo, viridi, aut rubeo demptis, cordonem nostrum duobus nodis notatum a correctoribus locorum nostrorum, & non alias pro cingulo suscipiant, & in eorum manibus præsentem Regulam, seu modum vivendi tam Clerici, quam Laici etiam conjugati observare promittant, insuper promittentes emendationem vitæ, & correctionem morum, & se huic statui, & Regulæ conformare, mandata Dei observare, & Officium Divinum, & Officium Defunctorum id expressum, nisi infirmitas, vel alia causa legitima obtulerit, adimplere satagant. Poterunt autem universi utriusque sexus in hac vita a puerilibus annis se exercere, & cordonem de manu Correctorum Localium susceptum deferre, ac in decimo octavo anno, & non antea professionem juxta regulam, & modum vivendi prædictum emittere; si vero, quod Deus avertat, Divinatores, vel Divinatrices essent, aut aliquam magicam, & prohibitam artem, aut sortilegia quæcumque, aut quomodocumque usuras publicas, vel prohibitos contractus exercerent, aut ludos theatrales, choreas, tabernas, & ludos publicos frequentarent, aut vitam dissolutam, & scandalosam ducerent, vel blasphematores, aut assidui juratores essent, ter canonice moneantur, qui trina monitione prævia, si se non correxerint, & emendaverint, dicto cordone, & singulis gratis ac privilegiis a locorum Correctoribus de fratrum consilio seniorum priventur: noverint nihilominus per hujusmodi privationem a votis præsentis regulæ, & vita Deo promissa minime fore se absolutos, & liberos, sed se cordone, & gratis sentiant, & judicent indignos: poterunt verumtamen ad poenitentiam recipi, & ablata eis restitui, si eorum contritio exegerit, & humilitas meruerit.

De Correctoribus, & Correctricibus annualibus, ac de pace fraterna, & in bono perseverantia.

CAPITULUM VII.

§. 28. Cuilibet istius fraternitatis congregationi, Correctorem, vel Correctricem Correctores Provinciales deputent, illos, vel illas cum opus fuerit, mutando, qui quidem Correctores Provinciales, cum ad loca nostra declinaverint, fratres, & foro-

sores fraternitatis in die opportuno convocare poterunt, & eis sermonem per se, vel per alium facere ad observantiam mandatorum Dei, & perseverantiam in bono exhortando; Correctores autem, & Correctrices hujus Congregationis lites inter fratres, vel sorores ortas studiose conabuntur extinguere, & ad pacem reducere charitatem mutuam servantes. Fratres, & Sorores se nuncupare non veantur, & in tribulatione, & adversitate, seu infirmitate se mutuo vilitent, & confortent. Hæc sunt, filii charissimi, quæ observare curabitis; Poenitentiam igitur assumptam, & bona opera nolite deserere, quia si fideles fueritis in operando, Deus fidelis erit in remunerando. Et ne oblivio, aut ignorantia sint causa delinquendi, semel in mense ad minus hæc regula vulgariter, & intelligibiliter vobis legatur, nisi causa legitima quis impediatur; non enim privabit Dominus bonis eos, qui ambulant in via mandatorum suorum, & qui ei sub hac regula militant, sed gratiam, & gloriam dabit eis.

§. 29. Nulli ergo, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo primo, Kalendis Maii; Pontificatus nostri Anno IX.

XV.

Contra offendentes, per se vel alium litigantes in Curia Romana, eorumque Judices, Advocatos, Procuratores, Notarios, testesque, & alios.

In eisdem Romanis Pontifices annis singulis anathematis sententiam promulgant, in die & Bulla Cæne Domini.

ALEXANDER EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

In eminenti Sedis Apostolicæ specula, divina disponente clementia, licet immeriti, constituti, inter multiplices nostræ sollicitudinis curas, quibus assidue premimur, illam pro nostro Pastoralis officio in primis suscipere debemus, per quam nostræ provisionis opera, ad Romanam Curiam (ad quam veluti fidelium matrem, & magistram, ac justitiæ fontem pro illa consequenda, continue de diversis Mundi partibus confluit multitudo) pro eorum causis tractandis confugientes, illaque in eadem prosequentes, sublati quibusvis impedimentis, iura sua prosequi & illa prosequendo, in eadem Curia libere, tute, & quiete personaliter valeant permanere, prout personarum, & temporum conditione inspicita, id in Domino conspicimus salubriter expedire.

§. 1. Sane tam dilectorum filiorum, causarum Palatii Apostolici Auditoris, eorumque Locatenentium, & aliorum fide-

dignorum relatione, quam multorum causas suas in dicta Curia prosequendum, gravissimis querelis, non sine maxima mentis nostræ perturbatione, sæpenumero accepimus, quod licet nos, fel-record. Innocentio Papa VIII. prædecessore nostro, sicut Domino placuit, sublato de medio, ad summi Apostolatus apicem, divina favente clementia, assumpti, tam ejusdem Innocentii, quam aliorum Romanorum Pontificum, etiam prædecessorum nostrorum, vestigiis inhaerentes, singulis annis in die cœnæ Domini per literas nostras, inter cetera, omnes illos, qui per se vel alium, seu alios, quascunque personas, Ecclesiasticas, vel Sæculares ad eandem Curiam, super causis, & negotiis suis recurrentes, illaque in eadem prosequentes, aut procurantes, negotiorum gestores, Advocatos, vel procuratores ipsarum, aut etiam Auditores, seu Judices super dictis, seu negotiis deputatos, occasione causarum vel negotiorum hujusmodi verberarent, mutilarent, vel occiderent, aut bonis spoliarent, & qui per se, vel alium, seu alios, directe, vel indirecte, prædicta exequi, vel procurare, aut eidem consilium, vel favorem præstare non verebantur, cujuscumque præminentia, dignitas, ordinis, conditionis, ac status forent, etiam si Pontificali, Regali, Reginali, vel quavis alia præfulgerent dignitate, publice excommunicare, & anathematizare consueverimus, prout alii prædecessores præfati, etiam per eorum literas, singulis annis, dicta die facere consueverant, a quibus quidem sententiis, nullus, per alium quam Romanum Pontificem, nisi dumtaxat in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi sub certis modo & forma expressis, absolvi potest.

§. 2. Tamen dierum crescente malitia, quamplures iniquitatis filii, perditionis alumni, excommunicationis, & anathematis hujusmodi sententias parvipendentes, horrenda inhumanitate, detestandaque sævitia, mortem sitientes aliorum, videntes forsitan se in causis per eos, vel contra ipsos in dicta Curia pro tempore motis, justitiam non fovere, suorum salutis, status, & honoris immemores, humani generis hoste procurante, Deique timore postposito, eorum in dictis causis adversarios, aut illas pro eis in eadem Curia prosequentes, aut procurantes, Advocatos, vel Procuratores eorum, testesque, & Causarum prædictarum Notarios, multoties diversis excogitatis modis afficere, invadere, verberare, mutilare, occidere, seu per alios, etiam assassinos, talia procurare, & exequi (proh dolor) ausu temerario non erubescunt, adeo ut plerumque jus suum in ipsa Curia prosequentes metu, & quadam desperatione deducti, causas suas deserere, aut non sine magno ipsorum præjudicio, & detrimento ad concordiam seu alias transactiones inhonestas, passionisque illicitas, contra consuetam dictæ Curie libertatem de-

Licet in Bulla Cæne Domini anathemate feriatur qui quomodolibet litigantes in Curia Romana Julles, vel Advocatos offendunt &c.

Reperiri tamen ait Pontifex nonnullos, qui hujusmodi anathema spernant.

Hujusmodi itaque anathema ceteraque penas renovas.

Novas infligit.

devenire, & ab ipsa Curia discedere cogantur, in Divinae majestatis offensam, jurisdictionis, & auctoritatis Apostolicę legationem, animarum periculum, perniciosum quoque exemplum & scandalum plurimorum.

§.3. Nos igitur, qui eandem Romanam Curiam, veluti supremum justitię Tribunal, & saluberrimum oppressorum omnium refugium, liberam, immunem, & securam omnibus conservare debemus, considerantes attentius, quod plures poenarum gravitas, quam Dei timor arcere solet a voluntate peccandi, & propterea tanto periculo volentes occurrere animarum, ac tam nefarios pręsumptores, & facinorosos homines, Ecclesiasticę animadversionis mucrone ferire, ut metus poenę, meta hujusmodi pręsumptionis existat, hujus perpetuę irrefragabilis constitutionis edicto, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctę Romanę Ecclesię Cardinalium consilio, prędictas excommunicationis, & anathematis, omnesque, & singulas alias sententias, censuras, & poenas Ecclesiasticas, in talia pręsumentes, per canonicas sanctiones, ac alias Apostolicas Constitutiones, quomodolibet latas, & promulgatas, auctoritate Apostolica approbantes, & innovantes, ad omnes, & singulos prędictos, qui forsitan sub illis comprehensi non essent, extendentes, & ampliantes, statuimus, & ordinamus.

§.4. Quod deinceps perpetuis futuris temporibus, omnes, & singulę Ecclesiasticę, secularisve personę, cujuscumque qualitatis, dignitatis, status, gradus, ordinis, & pręminentię fuerint, quę earum in causis, tam beneficialibus, quam prophanis, ac criminalibus, sive mixtis, in dicta Curia nunc & pro tempore pendebant (etiam super his, quibus literę executoriales jam decretę, suum debitum consecuta non fuissent effectum) adversarios, vel illas pro eis prosequentes, & procurantes, sive Advocatos, aut Procuratores ipsorum, aut Auditores, & alios Judices quoscumque, testes, & Notarios pręfatos, minis afficere, invadere, verberare, mutilare, & occidere, seu per alios talia procurare, & exequi quomodolibet pręsumpserint, quamquam mutilatio, vel mors ex hoc forsitan non sequatur, aut tales scienter receptaverint, defendebant, seu occultaverint, eisque consilium, auxilium, vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte pręstiterint, sive qui pręmissa etiam pro aliis, quomodolibet commiserint, ultra sententias, censuras, & poenas prędictas (quas etiam ipsi pari modo incurrisse noscuntur) si ex colligantibus causam ipsam, & omne jus, tam in petitorio quam possessorio, ac in re, vel ad rem, causa, vel occasione hujusmodi, quomodolibet competens, eo ipso perdant penitus, & amittant. Si vero alii fuerint, ab ipsa Curia, & omnibus ejusdem Romanę Ecclesię terris, perpetui exilii, omni spe restitutionis adempta, & si mutilatio membri, vel mors (quod Deus

avertat) subsequatur, ultra causę, & juris amissionem, ac exilii poenam hujusmodi, tam ipsi, quam pro eis pręmissa exequentes, & omnes alii supradicti, depositionis a dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio, ac lęsa Majestatis criminis sententias incurrant ipso facto. Eorumque officia etiam ejusdem Romanę Curię, ac beneficia quęcumque ex tunc ipso jure vacare decernimus, & quę, ut pręmittitur, vacatura, nostrę, & Sedis prędictę collationi, & dispositioni, de simili Fratrum eorumdem consilio reservamus, libere, aliis per nos, & Sedem prędictam dumtaxat conferentur, inhibentes ne quis, pręter Romanum Pontificem, quacumque sit super hoc auctoritate munitus, de illis disponere, vel circa illa per viam permutationis, vel alias innovare quomodo pręsumat. Decernentes ex tunc irritam, & inane, si secus super his, a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Sinque etiam in suis bonis omnibus, a cunctis perpetuo diffidati nihilominus & banniti, ac infames, & inhabiles habeantur. Et postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia excommunicationis & anathematis, amissionis, depositionis, seu diffidationis, & banni hujusmodi, adversus eum sententia requiratur. Et ut ipsi nefarii pręsumptores, ac facinorosi homines, a tam execrabili scelere facilius, & frequentius reprimantur, omnibus, & singulis Ecclesiasticis, secularibusque personis, etiam cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existant, in virtute sanctę obedientię, & sub simili excommunicationis, & anathematis late sententię poena, a qua non nisi, ut pręfertur absolvi possint, districtius injungimus, ut omnes, quos pręmissa commisisse, procurasse, aut mediatores fuisse, sciverint, Romano Pontifici pro tempore existenti, vel alteri, per quem ad ejus notitiam facile possit pervenire, per se vel alios, quanto citius revelare non omittant, pro revelatione hujusmodi gratiam, & si complices fuerint, veniam consecuturi.

§.5. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quę pręfati prędecessores in suis, & nos in nostris literis prędictis, volumus non obstat, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.6. Ut autem presentes ad communem omnium notitiam deducantur, volumus, & mandamus, illas in Cancellaria Apostolica, & Audientia literarum contradicatarum (quas ex tunc quoscumque ligare decernimus) & deinde singulis annis prima die, qua per pręfatos Auditores, & Locatenentes audientia tenetur, in loco dictę Audientię publicari, & in dicta Cancellaria inter alias Extravagantes, ac etiam inter dictorum Auditorum constitutiones describi, ut hi, quos contigerit, quod ad ipsorum notitiam non pervenerint, aut illas ignoraverint, nullam possint executionem

Obstantibus derogat.

Hanc Constitutionem publicari mandat.

fatio.

Sanctio poenalis. Dat. P. An. 10. die 13. Apr.

Publicatio.

sationem prętere, vel ignorantiam allegare, cum non sit verisimile apud ipsos remanere incognitum, quod tam patenter fuerit publicatum.

§.7. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę, millesimo quingentesimo secundo Idibus Aprilis, Pontificatus nostri Anno X. Lecta, & publicata sunt Roma in Cancellaria Apostolica, Anno Domini 1502. die 14. Aprilis, Pont. Sanctiss. D. N. Papę Alex. VI. Anno X. A. de Gottifredis Curfor.

XVI.

Concessio Gubernii quarumdam Terrarum Status Ecclesiastici, Clericis R. Camerę Apostolicę.

De eorum munere, jurisdictione, & privilegiis, habes sup. in Eug. IV. Conf. XLVII. Inter pag. 20. in Callisto III. Constit. I. Quę laudabili pag. 74. Sixto IV. Const. I. Dispositione pag. 131. ac Innoc. VIII. Constit. VI. Cum sicut pag. 203.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

ET si Pastoralis officii nobis licet imperparibus divina dispositione commissi sollicitudine, de cunctorum Christianidelium salubri, & pacifico statu jugiter cogitare teneamur, Castra tamen, & loca temporalis dominio Romanę Ecclesię subiecta, & illorum incolę majori affectione complectimur, & ut tam pacis tempore suo prospero, & felici regimine gubernentur, quam in occurrentibus guerrarum turbibus, vigiliam Gubernatorum providentia, & sollicitudine infirmul, facilius defendantur, & conserventur illęsa, prout temporum, & locorum qualitate pensata, eorumque utilitati, & ejusdem Romanę Ecclesię statui in Domino conspicimus expedire, de remedio providemus opportuno.

Castra quędam hic specificata ob guerrarum turbines &c. maxima damna patiebantur.

§.1. Sane Cęsarum, Porcarię, Macerani, Purhani, Colliscampi, Masserani, Cisternę, Florenzolę, Scoppi, Fogliani, Rappiciani, Palatii, Aretii, Cordigliani, Magliani, Buellarii, Mantrellarum, Baluini, Sterpeti, Apollenacii, Poggi, Appecani, Aquę Palumbę, & Vallis Perachię, ac alia Castra, & loca Terrarum speciali commissionis Arnulphorum Spoletanę diocesis S. R. E. immediate subiecta, seu eorum aliqua, quę ab immemorabili tempore, patrimoniales, & pecuniarias Apostolicę Sedis, & S. R. E. speciali prerogativa habita fuerunt, & sunt, prout Romanorum Pontificum prędecessorum nostrorum hactenus munimenta testantur, ac dilecti filii eorum incolę, & habitatores, ob dissensiones, differentias,

Tom. III. Par. III.

andala, & guerrarum turbines, quę superioribus annis, inter dilectos filios Spoletan., & Interammen. Civitatum nostrarum Communitates, & alias, etiam occasione illarum Gubernationis evenerunt, tot hominum cędes, rapinas, prędas, & alia gravissima dispendia pertulisse noscantur, ut nisi super his, ne in posterum similia eveniant, opportunis remediis occurratur, verisimiliter formidandum sit, ne Castra, & loca hujusmodi, vel eorum magna pars, non sine gravi nostra, & Camerę Apostolicę læstura destruantur, desolentur, aut ab eorum habitatoribus deserantur.

§.2. Nos igitur, qui inter varias curas, quibus continuo premimur, illa pręcipue sollicitamur, ut Terrę, & loca eidem Romanę Ecclesię subiecta, sub statu tranquillo, & pacis amenitate gubernentur, volentes super his, ut nobis incumbit, de opportuno remedio providere, ac quęstionum, scandalorum, & guerrarum hujusmodi fomenta, quantum nobis possibile est, penitus extirpare, ac attendentes, quod si Castra, & loca hujusmodi regimini, ac gubernationi dilectorum filiorum Clericorum prędictę Camerę Pręfidentium, quibus omnium Terrarum, & locorum S. R. E. in temporalibus pręcipue cura imminet, subicerentur, eorum incolę, & habitatores prędicti laudabiles se recepisse Rectores, cum maximis eorum commodis lætarentur, habita super his cum Fratribus nostris ejusdem Sanctę Romanę Ecclesię Cardinalibus deliberatione matura, ac de eorum consilio, omnia, & singula Castra, & loca prędicta, cum omnibus, & singulis eorum, & cujuslibet ipsorum incolis, & habitatoribus, eorumque bonis, & rebus, ac districtibus, territoriis, terminis, Villis, Arcibus, Fortilitiis, Casalibus, Montibus, Vineis, Sylvis, pratis, pascuis, nemoribus, aquis, aquarum ductibus, fluminibus, & fluminum alveis, torrentibus, piscationibus, molendinis, terris cultis, & incultis jurisdictionibus, & aliis quibuscumque juribus, & rebus eorumdem, ab omni superioritate, dominio, gubernio, regimine, potestate Spoletan. & Interammen. hujusmodi, & quarumcumque aliarum Civitatum, eorumque Communitatum, ac aliorum Superiorum, & Gubernatorum quorumlibet, necnon ab omni jurisdictione, superioritate, potestate, ac onere, inferioritate, recommendatione, & subiectione, realibus, & personalibus quibuscumque, perpetuis, sive temporalibus, in quibus Castra, & loca prędicta, & eorum singula, Civitatibus, & Communitatibus prędictis, & eorum cuilibet, etiam ex quibuscumque causis quomodolibet obligentur, & teneantur, auctoritate Apostolica, ex certa nostra scientia, tenore presentium penitus eximimus, & totaliter liberamus, ac exempta, & liberata esse, & Spoletan., & Interammen. hujusmodi, aut aliquam aliam Communitatem, & aliquem alium Gubernatorem, in Castra, & loca pręfata, vel

Ilaque hic Pontif. pro eorum meliori regimine a superioritate Civitatum Spoletan. & Interammen. eximit.

K k

1502.

Eorumq; gubernum Clericis R. Cam. Apost. committit.

Quibuscumque non obstantibus.

vel eorum aliquod, eorumque incolas, & habitatores presentes, aut futuros, ac districtus, terminos, bona, jura, & res earumdem, aliquam jurisdictionem, superioritatem, gubernationem, arbitrium, aut aliam potestatem exercere, seu habere, nullatenus posse, ex simili scientia decernimus, & declaramus.

§. 3. Et nihilominus omnia, & singula Castra, loca, incolas, habitatores, districtus, territoria, loca, & res hujusmodi, regimini, gubernationi, Clericorum Camerae hujusmodi consilio, & scientia similibus specialiter expresse, & immediate subijcimus, & subiecta esse volumus, salvis tamen semper ordinariis introitibus predictae Camerae debitibus, ex quibus consueta onera, pro custodia Arcis dicti Castris Cesarum persolvi volumus. Et insuper Collegio Clericorum hujusmodi eodem tenore committimus, & mandamus, quatenus omnia, & singula Castra, & loca, eorumque habitatores, bona, jura, & res predictas, sub eorum gubernio, & regimine hujusmodi recipiant, & habeant, & prudenter regant, atque gubernent, ac benigne pertractent, sub iustitiae libramine debito, faciendo praemissa omnia inviolabiliter observari, non permittentes ea, & eorum aliquod per Communitates praedictas, vel quascumque alias, cuiuscumque status, praecminentie, dignitatis, auctoritatis, & conditionis existant, aliquatenus infringi, seu loca, Castra, & incolas, habitatores hujusmodi contra praesentium tenorem quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles, per censuras Ecclesiasticas, & alia opportuna juris remedia, appellatione postposita compescendo.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon statutis, locorum municipalibus consuetudinibus, & praescriptionibus, quibusvis privilegiis, indultis, immunitatibus, exemptionibus, donationibus, alienationibus, concessionibus, dispositionibus, & literis tam per quoscumque Romanos Pontifices, quam per Nos, & Sedem Apostolicam, sub quibusvis verborum formis, & clausulis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus, & insolitis irritantibusque & aliis decretis, ac etiam Motu proprio, & simili scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, & ex quibusvis etiam maximis, & urgentissimis causis, & necessitatibus, etiam de simili consilio, eisdem Communitatibus, Gubernatoribus, & personis, ac quibusvis aliis, communiter, vel divisim hactenus quomodolibet concessis, & factis, ac confirmatis, approbatis, & innovatis, nominatim, specialiter, & expresse, & in posterum forsitan concedendis, faciendis, confirmandis, approbandis, & innovandis. Quibus etiam pro illorum sufficienti derogatione, ac de illis totis tenoribus, specialibus, specifica, expressa, & individua, &c, ac de verbo ad verbum inferrentur, pro

sufficienter expressis habentes, quoad praemissa dumtaxat harum serie eadem scientia specialiter, & expresse derogamus, & illa nemini aliquo umquam tempore suffragari volumus, & decernimus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominice, 1502. 3. Kalen. Maii, Pontific. nostri Anno 10.

PIUS TERTIUS PAPA CCXVII. ANNO DOMINI MDIII.



Die 22. Septembris 1503. electus est in Summum Pontificem Franciscus Piccolomineus Cardinalis S. Eustachii, Senensis, qui ab Avunculo Pio II. Pius III. voluit nuncupari. Die Octobris prima Episcopalis Sacris initiatus, octava mensis ejusdem die Pontificali Thia-ra redimitus est, ac novem post dies ulcere cruris, quo jamdiu laboraverat, (a) extinctus est, cum Pontificiam Sedem per mensem nondum tenuisset. Corpus ejus antea in Basilica S. Petri tumulatum ab Alexandro Peretto Cardinale de Monte Alto translatum fuit ad Ecclesiam S. Andreae de Valle vulgo dictam. Vacavit Sedes dies XIV.

(a) Volaterr. Lib. II.

1503.


Dat. P. An. die 29. Apr.

1503.

1503.

JULIUS SECUNDUS PAPA CCXVIII.

ANNO DOMINI MDIII.



Die 1. Novembris anno 1503. Pio III. successor datur Julius Roboreus Savonensis S. R. Eccl. Presbiter Cardin. S. Petri ad Vincula Ostiensis Episcopus in Pontificatu Julius II. appellatus: qui Apostolicis infulis decoratus est die 26. mensis ejusdem. Sedit in Pontificatu Annos IX. Mens. III. dies XX. temporibus Maximiliani Regis Romanorum, & sex Promotionibus XXVII. Cardinales creavit. Obiit 21. Februarii anno 1513., & sepultus est in S. Petri ad Vincula. Vacavit Sedes dies XVIII.

I.

Contra Barones, & Communitates Status Ecclesiastici, eorum territoria non custodientes a Bannitis, furibus, & aliis delinquentibus.

JULIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Dilectis filiis Baronibus, Domicellis, Communitatibus, & Universitatibus Terrarum, & Castrorum eorumdem, necnon aliis Civitatibus, & Universitatibus Oppidorum, & Terrarum S. R. E. mediate, vel immediate subiectis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.

Quia nihil est, quod magis expediat nostrae Almae Urbis & Curiae, ac ceterorum subditorum S. R. E. quieti, & regimini, quam quod euntes, & redeuntes ad eandem, ac ceteras terras ejusdem S. R. E. secure, & libere, sine incurfione, offensione, & invasione latronum, furum, ac sicariorum, & aliorum male viventium stare, ire, & redire possint, & valeant, ac propterea tam de jure communi, quam ex specialibus ordinationibus fel. rec. Pauli II., & Sixti IV. nostri secundum carnem patris, ac Innocentii VIII. & Alexandri VI. praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum statutum fuerit, ut omnes Barones, & Domicelli, & Universitates Castrorum eorumdem, ac Civitates, & cetera terra, & oppida Sanctae Romanae Ecclesiae mediate, & immediate subiecti, & subiectae, eorum terras, & Oppida, Villas, & Territoria, quae cumque a dictis latronibus, sicariis, furibus, & aliis delinquentibus custodirent, & secuta, ac libera facerent, alias ad emendationem omnium damnorum, & rerum subtractarum tenerentur, & obligarentur.

§. 1. Idcirco praedecessorum nostrorum vestigia insequentes, pro pace, & quiete dictae Urbis, & omnium Terrarum praedictarum, omniumque incolarum, & venientium ad easdem securitate, vobis omnibus, & vestrum cuilibet tenore praesentium expresse mandamus, ut vestras Terras, Communitates, Universitates, Villas, & Castra, ac Territoria omnia a praefatis viris facinorosis, latronibus, furibus, sicariis, & aliis delinquentibus a die intimationis praesentium earumdem, secuta & libera teneatis, reservetis, & custodiat: quod si secus feceritis, tam poenas juris, quam alias poenas, & censuras a praedecessoribus nostris praedictis super his promulgatis ipso facto, vos & quemlibet vestrum incurrere decernimus, & declaramus.

§. 2. Mandantes insuper Venerabili Fratri Raphaeli Episcopo Albanen. Camerario nostro, ac dilectis filiis Clericis, & Praesidentibus Camerae Apostolicae, necnon Almae Urbis Senatori, & aliis Officialibus, Legatis, & Gubernatoribus Provin-

Antecessores Pontifices plura mandata fecerunt pro quiete status Ecclesiastici.

Ea renovans Julius, Territoria libera custodiri mandata a furibus, sicariis &c.

Non custodientes ad damni illati satisfactionem tenent jubet.